



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Saxonia || Et || Metropolis || Alberti Crantzii || Historici
Doctiss. Sacrae || Theologiae & Iuris Canonici Doctoris ||
celeberrimi, ac Ecclesiae Ham-||burgensis quondam
Decani**

Krantz, Albert

Coloniae, 1574

Capvt XII.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11453

commune perurgeret primores, Eos qui poscerentur, dēdere, vt malorum sit finis: Dediti, cum eo, qui deprehensus foris seruabatur, publico casti sum in castris gladio. Episcopus deindē ex quaq; ciuitate vnum vrbi im-misit, quibus authoritatem impartitur, vt rebus ordinatis, nouum deligant concilium, & dissipata reforment: Itā magnus motus paucorum sanguine quieuit. Hic est exitus tumultuātium in populo. Sed mille alia sunt eius generis exempla, nec tamen cautiores faciunt alios, aut ignorati casus, aut prouidentia praesumpta cauendi.

CAPVT XII.

Hoc est illud tēpus vicesimiquinti post mille quadringentos anni, cum ecclesia Traiectensis varijs motibus tractaretur: Nam vacantem morte Fride-rici episcopatum, Papa permisit Spirensi episcopo. Ille grauis aetate, quod sciebat rem laboris plenam, translationem recusauit. Tum electione innouata, cepit esse diuisio: cum nonnulli vota conferrent in Suederum de Kulenborg, praepositum ecclesiae, baronem: alij in Rodolphum de Diepholt. Papa Suederum confirmauit: Rodolpho autem militia inhaesit, illi permittens arces & omnia praedia, quem postulatum dixerunt: forte, quia eius postulati Spirensis in eum est transfusum, alioqui eligi potuit, nulli ecclesiae obligatus, nec defectui subiectus. Diu valuit ea diuersitas: Suedero consecrato, de solis ecclesiae ministerijs viuente, Rodolphus omnia tenebat: cuius memoriam perennat moneta aurea, ad nostra vsque tempora decurrens. Otto quoque Monasteriensis episcopus tum in fata concessit, de Horia comes: qui ecclesiam mirifice locupletauit, adaugens arcibus, praedijs, & dititione, fecitque locum Henrico de Morsa comiti, germano fratri Theoderici Coloniensis archiepiscopi.

Quo

Quo etiam tempore Iohannes dux Bauaria, tutor Hollandia, veneno accepto extinguitur: quod quàm primam accepisset, statim persensit: & qui dedit, cum in conspectu esset, mox suo proditus vel ruboris, vel palloris indicio, capitur, & confessus quadripartitur. Sed inde, qui accepit, nō melius habebat, translatus ad patres. Iacobam pridem coniunx Adolphi Brabantia ducis, tum propter cognationem & sanguinis propinquitatem ab illo diuorata, nupsit comiti Leicestria in Anglia, vt Anglorum armis Hollandiam ditionem patriam tueretur: Ea fuit insimulata de ordinatione rei, quam diximus. Sed ad arma ventum est. Angli magnis copijs enavigarunt, & egressi nauibus, se contulerunt in Hannoniā: qua & ipsa debita diceretur Iacobam memorata, in qua etiam moram fecit ea foemina. Recepti Bergensi oppido, reliqua quoquē armis in potestatem redigere curabant. Adolphus dux, qui necdum reliquerat ius conuincij, & si mulier ab eo diuertisset, cum de magna dote ageretur, magnis vndecunquē copijs contractis, occurrit hosti. Inerant auxilijs eius arma multorum principum, ad numerum, vt ferunt, octuaginta millium: Oppugnant instanter oppidum, Anglici defendunt. Sed Anglus in alieno promptas non sperabat suppetias, qua hostibus accreuere quotidie. Inde factum est, vt cum multa virinque fortiter gesta essent, ad tractatus res peruenit: conuenitque, vt vterque princeps misso Romam cum instructione nuncio, ibi causam agi sinerent: declararetque pontifex, virius esset vxor futura. In eas conditiones Anglici, dimisso oppido, in sua reuertuntur.

CAPVT XIII.

Vilhelmus marchio Misnensis, cum in fata concessisset, frater ei successit Fridericus: qui, vt diximus,

ximus,